



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. III. De Ministro Baptismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, vel Baptizo te in nomine Patris, baptizo te in nomine Filii, &c. Ratio, quia non exprimitur unitas essentialis. 2. Baptizo te in nomine genitoris, genitii, & spirati; vel in nomine omnipotentis, sapientis, & boni; vel in nomine ingenti, geniti, & doni. Ratio, quia trinitas personarum non explicatur vocibus, quibus à fidelibus omnibus debet, & potest apprehendi. 3. Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, & Mariæ Virginis: quia dubium est de intentione Ministri; qui si eo sensu voluit dicere Mariæ, quo Patris, Filii, & Spiritus Sancti, non valet, cum sit contra sensum essentialem à Christo intentum: si verò tantum voluit illam invocare, ut coadjutricem gratiæ impetrandæ, vel aliter, valet; cum tantum sit mutatio accidentalis, *Fill. t. 2. cap. 3. num. 50. v. etiam Laym. & Bon. l. cc.*

DUBIUM III.

*De Ministro Baptismi?*

ARTICULUS I.

*Quid sit Minister Baptismi?*

Resp. Valide ministrat omnis homo ratione utens, cujuscunque fidei vel infidelitatis, status, aut sexus. Licet, tanquam minister ordinarius, & ex officio, Sacerdos habens jurisdictionem, aut commissionem, vel ex ejus commissione, Diaconus: In casu tamen extreme necessitatis, omnis qui potest

A a

test

test validè, etiam facit licitè, tenerurque, ut primo succurrat. *Laym. l. 5. t. 2. cap. 7.* Unde resolu-

I. Non tantum Diaconus, sed nec Parochus aut Episcopus, absque commissione, extra suam Dioccesiam, vel Parochiam, (vel intra eam alios) licitè baptizat: ideoque etiam peccant parentes, qui sine licentia sui Prælati, alieno debent prolem baptizandam, cum violent jus Parochi. *Laym. l. c.*

II. Diaconus non tantum in extrema necessitate, sed etiam in alia notabili, baptizare potest: quidem cum solemnitate, ex commissione Episcopi, vel Parochi; ut si v. g. ob multitudinem baptizandorum, aliudve grave impedimentum, ipsi facere non possint, *Laym. l. c.*

III. Cum in necessitate confertur Baptismus, servandus est ordo, ita ut si adsit, & non detrectus Sacerdos vel Diaconus, is reliquos præcedat. Si etiam Clericus laicum, vir mulierem, fidelis infidelem: nisi fortè inferior melius noverit modum, ut solent obstetrices, (quæ proinde examinari, & approbari debent à Pastoribus) vel alia iusta causa sit, ut quia virum ad parientem ingredi non debet. Quod si laicus baptizet præsentem Sacerdotem, & secundum quosdam, etiam præsentem Diaconum, censent esse mortale: quia id laico tantum competit, ob defectum Sacerdotis, qui sine injuria ordinis & Sacramenti, talem licentiam dare non potest. In reliquis, perversio illius ordinis est tantum veniale, præterquam, si coram fidei hæreticus adhiberetur, quod volunt esse mortale. *Laym. c. 1. n. 4. Cón.*

ARTICULUS II.

*An duo possint simul unum baptizare?*

Resp. I. Si alter applicet materiam, alter formam, nullus erit Baptismus: quia dicens se ablueret, cum non abluat, formam habet falsam, etiam si usurpet Græcorum, *baptizetur servus Christi*, vel quæ putatur illi æquivalere, *baptizet te Christus*, subintelligitur enim, *per me*; alioqui si excludatur persona Ministri, ut sensus sit, *baptizet te Christus*, & non ego, sive non per me, forma nulla est. In casu tamen necessitatis, posse sub conditione ita Baptismum conferri, ut v. g. mutus formam nesciens ablueret, cæcus autem formam pronunciaret, docet *Hurt. d. 2. dis. 6.* additque debere talem elapso periculo, iterum sub conditione baptizari. *v. Escob. Fill. cap. 4. Dian. p. 3. t. 3. R. 26. ex Chapeavill. Marsil. & c. Bon. d. 2. q. 2. p. 4. n. 2; Laym. c. 7.*

Resp. II. Si plures ministri singuli abluant, & formam pronuncient, graviter peccant contra ritum Ecclesiæ. De valore sic solet distingui: Si quilibet intendit baptizare, dependenter ab alio, ut causa particularis, invalidè baptizant, sive singuli dicant, *Ego te baptizo*, sive, *Nos te baptizamus*: quia forma, cujus sensus censetur esse, absolute & independenter baptizare, non cobaptizare, est falsa. 2. Si quis per se intendat baptizare, independenter ab alio, validè baptizat: quia omnia

requisita ponit. Ut patet à simili in missa ordina-  
tionis, quâ Sacerdotes noviter ordinati simul con-  
secrant cum Episcopo, dummodo simul eodem  
instanti formam absolvant: si autem non simul  
absolvant, is tantum consecrat, vel baptizat, qui  
prius absolvit. *v. Fill. t. 2. cap. 4. n. 72. & Bon. l. c. a.  
23. Laym. c. 7.*

## D U B I U M IV.

*Quod sit Subiectum Baptismi?*

Resp. I. Subiectum capax Baptismi, est solus  
homo vivus, ab Adamo descendens, nondum ba-  
ptizatus.

Resp. II. Validè baptizantur infantes, item pe-  
petuò amentes, qui nunquam usi sunt ratione  
quia censentur ejusdem conditionis cum infanti-  
bus. Si autem aliquando sint usi ratione, non valet  
Baptismus, nisi ante amentiam petiverint,  
*v. Bonac. d. 2. q. 2. p. 6. Laym. cap. 6. Unde resob-  
ves.*

I. Si puer inter baptizandum, nondum finita  
forma, moriatur, Baptismus est nullus.

II. Non valet Baptismus iteratus, ideoque u-  
terque, tum rebaptizans, tum rebaptizatus, pec-  
cant mortaliter, fiuntque irregulares, & in jure ci-  
vili subjacent pœnæ mortis. Quas tamen pœ-  
nas non videtur incurrere is, qui etsi sine iusta  
causa rebaptizat sub conditione: quia intelliguntur  
de Baptismo absolutè dato, quando moraliter  
constat, priorem Baptismum fuisse validum. *v. d.  
Lay. c. 5. Bon. p. 5.*